Krausowski Blasii: Quaestio philosophica ex tota philosophia rationali-deprompta.

552

Philos

Krausowski Blasii

Quaestio philosophica ex tota Philosophia rationali.

Q
P
A
PE
LEC
M. S
Collegij
Anni
Ex Offic

QVÆSTIO PHILOSOPHICA,

EX TOTA PHILOSOPHIA RATIONALI.

Ad mentem D. Thomæ Doctoris Angelici

DEPROMPTA.

&

PER BLASIVM KRAVSOWSKI

In Celeberrima Academia Cracouiensi.

LECTORIO DD: THEOLOGORVM

Publicè ad disputandum

PROPOSITA.

PRAESIDENTE

M. SIMONE STANISLAO MAKOWSKI,

Collegij Majoris Regio & Cursus Philosophici Professore, ad S. Annæ Canonico, Ecclesiæ Cathedralis Cracouiensis

CONCIONATORE.

Anno Domini, 1663. Mense Iulio, Die 15. Hora 2. Pomeridiana.

CASIMIRIÆ AD CRACOVIAM,

Ex Officina Typographica BALTHASARI SMIESZKOWICZ, *Typogr.*

JN STEMMA

ILLUSTRISSIMÆ ET ANTIQUISSIMÆ

DOMUS

WIELOPOLSCIORUM,



JTe leues Musæ, quem Pegasea Vngula fontem
Elicuit, plenis suauè potate labris
Quâ doctos gressus SONIPES WIELOPOLSCIUS egit
Ad Palliæ gustus, aptior Vnda fluit.

ANDREAS TRETERUS
Stud: Poëseos.

JLLVSTRISSIMO DOMINO, DOMINO IOANNI De Pieſkowa Skáłá, WIELOPOLSKI, DAPIFERO REGNI, CAPITANEO BIECENSI, &c. &c. Domino & Patrono Ampliſſimo.

Non aberrauit, quiſquis ſcientiam Philoſophicam Ægyde clypeatam, è Iouis cerebro proſiliuiſſe aſſeruit, Jlluſtriſſime Domine. *Nihil enim illâ fortius ad defendendam omnem domum, Vrbem, Regnum, inueniri poteſt: vnam Pindari penates in media Thebarum calamitate, vnius Philoſophi præſidio incolumes perſtitère. Lampſacum Helleſponti plus vnius Themiſtoclis ſapientia defendere potuit, quàm validiſſimæ Perſarum incurſiones eidem nocere. Græciam diuturna in pace non Regum potentia, ſed Philoſophiæ ſtudium conſeruauit. Hæc itaq; ſpectans* Tuum *Equum aſciatum gloriæ & victoriæ ſignum, quo Reges Neapolitanorum in ſuis nummis, & Saxonum Principes in vexillis militaribus, pro inſigni vſi*

ſunt, hodie apud Te *protectionem quærit. Qui ita* Tuorum *feliciſsimè correſpondes nomini & ſanguini, vt in* Te *omnia antiquæ Proſapiæ ſplendorum ornamenta cernantur: vt non immeritò exemplar veræ nobilitatis dici merearis, in quo ſuſpiciat Orbis Sarmaticus, quæcunque ad optimi patriæ ciuis perfectionem ſpectare videntur. Neque mirum: ſemper quippe è* Wielopolſciano *ſanguine. velut è Memnonia pyra Phænices enaſcuntur, quorum hoc fortunæ datum eſt, vt ſemper in auguſto Heroum poſiti faſtigio, eluceant Orbi ad immortalitatem. Suſpicimus omnes in* Parente Tuo *pulcherrimam gloriam virtutum efflóruiſſe, & quæ in plerisq́; ſparſa laudamus, in eo communi quodam vinculo colligata miramur & amamus. In* Te *pariter non diſsimilia ſpectamus, qui citò ad Paterni ſplendoris complementum properaſti. Vbi enim primæ ætatis puluerem in Caſtalio literarum fonte deterſiſti, reuerſus ab exteris nationibus, vmbram ſtatim faſtidiebas, petebas publicum, vt ibi nomen* Tuum *inter Heroas virtuti conſecrares, Vbi Maiorum gloriam vidiſti euiruiſſe. Agnouit ſummam in* Te *prudentiam Ampliſsimus Ordinum Regni in Generalibus Comitijs conſeſſus, vbi pro publica neceſsitate difficillima quæque ſuſtinuiſti, vt nemini deeſſet, quod in* Te *diligeret, & patria cariſsima haberet, quod* Tibi *poſtmodum referre teneretur. Quare non dubito fore, quia pro innata* Tua *in literas propenſione, Philoſophiam rationalem grato animo complecteris, & hoc primum mei in* Illuſtriſſimam Vielopolſcianam Domum, *obſequij argumentum non repudiabis.*

JLLVSTRISSIMÆ
Dominationis Tuæ

Cliens æternum deuotus,

BLASIVS KRAVSOWSKI.

QVÆSTIO PHILOSOPHICA,

EX TOTA PHILOSOPHIA RATIONALI DEPROMPTA.

VTrum Logica artificialis, diuiſa in Docentem, & Vtentem, neceſſaria ad alias ſcientias, ſpeculatiua entis rationis per ſolam potentiam intellectiuam producibilis, & per ſpeciem alienam cognoſcibilis: continentis ſub ſe vniuerſalia ſeu prædicabilia tanquam ſpecies; prædicamenta, vt fundamenta ſecundarum intentionum; ſigna & vocum ſignificationes, Enuntiationes, propoſitiones, vt ſecundas intentiones: Definitionem, Diuiſionem & Argumentationem, vt inſtrumenta comparandarum ſciētiarum, tàm ſubalternatarum, quàm non; diſtinctarum ab habitu primorum principiorum, ſit vna & vera ſcientia, nec ne?

CONCLVSIO I.

DAtur defacto Logica Artificialis in rerum natura, quæ diuiditur in Docentem, & Vtentem.

COROLLARIA.

I. Hæc diuisio est vnius habitus secundùm speciem in diuersos actus, ordine quodam ab ipso procedentes.

II. Competitque Logicæ, tàm pro tota scientia; quàm pro parte aliqua sumptæ.

III. Et ideò Logica Vtens actiuè sumpta, re ipsa non differt à Docente; secùs passiuè accepta.

IV. Logica Docens solùm lato modo potest dici ars, aut facultas, quatenus disponit intellectum ad ejus functiones rectè obeundas.

V. Similiter Vtens quatenùs Vtens, non propriè, sed per quandam similitudinem ars vocatur.

CONCLVSIO II.

LOgica Docens est vera & vna scientia, à Philosopho naturalitèr expetibilis.

COROLLARIA.

I. Estq; Pars Philosophiæ, distincta à naturali, & morali.

II. Etiam Vtens entitatiuè & realitèr sumpta, est scientia; non tamen formaliter accepta.

III. Docens si accipiatur pro tota arte disserendi, est vna vnitate specifica.

IV. Cæterùm, vt complectitur conclusiones & principia, opiniones & demonstrationes, vnitas specifica illi non conuenit.

V. Quòd si ratione subjecti consideretur, est vna vnitate numerica.

CONCLVSIO III.

LOgica artificialis est scientia purè speculatiua, plurimùm conducens ad acquirendas alias scientias.

COROL-

COROLLARIA.

I. Non poteſt dici practica ſimul & ſpeculatiua, ſolumque impropriè & ſecundùm quid practica nuncupatur.

II. Ad ſcientias in eſſe perfecto comparandas, eſt neceſſaria ſimpliciter neceſſitate ſuppoſitionis.

III. Hinc datur in hominibus naturalis propenſio ad ſcientias ediſcendas.

IV. Qui tamen majori & peculiari inclinatione feruntur in aſſecutionem Logicæ, quàm aliarum ſcientiarum.

V. Finis proximus Logicæ, eſt cognitio entis rationis, remotus verò eſt dirigere intellectum.

CONCLVSIO IV.

Logica pro objecto formali & adæquato, ſpeculatur ens rationis poſitivum.

COROLLARIA.

I. Ens rationis communiſſimè ſumptum, prout ſe extendit ad priuationes, negationes, & meras fictiones, objectum Logicæ adæquatum eſſe nequit.

II. Neque ens rationis, quatenùs reſtringitur ad ſolum ſyllogiſmum, vel ad argumentationem.

III. Vnde licet Argumentatio ſit principale objectum Logicæ; non tamen totale, ſed partiale.

IV. Solum itaque ens rationis, quod conſequitur res exiſtentes in intellectu definiente, componente, aut diſcurrente, eſt adæquatum Logicæ objectum.

V. At verò operationes intellectus ut dirigibiles, ſolùm ſunt materia, cui Logica applicat formam definiendi, diuidendi, argumentandi.

CONCLVSIO V.

Datur de facto ens rationis Logicum, quod tantùm habet eſſe objectiuè in intellectu.

COROLLARIA.

I. Quod non est purum nihil; neque consistit in sola denominatione extrinseca præcisè.

II. Et licet fingi, necessariò conueniat enti rationis; non est tamen illi essentiale, sed accidentarium.

III. Quicquid est subjectiuè in intellectu, (ut scientiæ, artes, habitus) non est ens rationis.

IV. Neque actio intelligendi, neque locutio interior, seu verbum mentis, entia rationis dici possunt.

V. Similiter id, quod concipitur ut existens tunc, dum non existit, possibile tamen alias existere, entis rationis titulum non meretur.

CONCLVSIO VI.

ENs rationis formaliter sumptum, fit per solam potentiam intellectiuam, idque per actum intellectûs comparativum.

COROLLARIA.

I. Potest autem fieri per quamlibet intellectus operationem.

II. A voluntate tamen, & à sensibus, tàm internis, quàm externis fieri nequit.

III. Habet veram essentiam & existentiam dependentem ab intellectu.

IV. Neque à Diuino, neque ab Angelico intellectu formari potest.

V. Sed tantùm ab intellectu humano, idque pro hoc statu mortali duntaxat; secùs in statu separationis, aut beatifico.

CONCLVSIO VII.

ENs rationis Logicum, non habet propriam speciem intelligibilem impressam, per quam cognoscatur.

COROLLARIA.

I. Et ideò cognoscitur per speciem impressam entis realis.

II. Species tamen expressa propria illi deesse non potest.

III. En-

I I I. Entia rationis negatiua cognoſcuntur per contrariam affirmationem.

I V. Entia verò rationis priuatiua, cognoſcuntur per ſpeciem impreſſam ſuorum habituum ſeu formarum.

V. Tandem entia rationis poſitiua, vt ſunt relationes rationis cognoſcuntur per ſpeciem ſui fundamenti.

CONCLVSIO VIII.

VNiuerſale fundamentalitèr ſumptum, ſeu naturam communem, dari de facto à parte rei aſſerimus.

COROLLARIA.

I. Hæc tamen natura communis à parte rei, eſt realiter identificata ſingularibus, & ideò illis ſublatis, tollitur tàm quoad eſſentiam poſitiuè; quàm quoad exiſtentiam.

I I. Non conſiſtit in ſolis vocibus, aut conceptibus mentis.

I I I. Neque habet ullam vnitatem formalem à parte rei, quæ ſit poſitiuè communis pluribus.

I V. Ante operationem intellectus, à ſuis ſingularibus, ſola ratione ratiocinata diſtinguitur.

V. Non repugnat aliquid eſſe ſimul vniuerſale fundamentaliter, & ſingulare formaliter.

CONCLVSIO IX.

VNiuerſale Logicum, ſeu formaliter ſumptum, fit per ſimplicem intellectus poſſibilis comparationem.

COROLLARIA.

I. Non poteſt fieri per abſtractionem intellectus tàm agentis, quàm poſſibilis, neque per comparationem compoſitiuam.

I I. Definitur autem ſic, vniuerſale eſt vnum in multis, & de multis.

I I I. Hæc aptitudo eſſendi in multis, aduenit naturæ, vt habet eſſe in intellectu.

I V. Et ideò non datur in natura communi à parte rei.

V. Vniuersale tamen Metaphysicum, fit per actum intellectus absolutum abstrahentem naturam ab inferioribus, tàm abstractione negatiua, quàm positiua.

CONCLVSIO X.

VNiuersale formalitèr sumptum, adæquatè diuiditur in quinque prædicabilia.

COROLLARIA.

I. Priùs tamen diuidi debet in essentiale, & accidentale, tanquam in species subalternas.

I I. Essentiale subdiuiditur in genus, speciem, & differentiam; accidentale verò in proprium & accidens.

I I I. Quocirca quinque prædicabilia, sunt species infimæ vniuersalis in communi.

I V. Et hæc nec plura, nec pauciora possunt esse.

V. Vnde neque ens per accidens Metaphysicum, neque definitio, neque indiuiduum vagum, possunt in numero prædicabilium computâri.

CONCLVSIO XI.

VNiuersale formaliter sumptum, est genus vniuocum ad quinque prædicabilia, secùs materialitèr acceptum.

COROLLARIA.

I. Non est tamen genus imediatum respectu illorum, sed remotũ.

I I .Genus verò immediatum prædicabilium, est prædicabile essentialiter, & accidentaliter.

I I I. Hinc vniuersale in communi, non est species respectu generis, quatenùs illi subijcitur.

I V. Solumq; prædicatur de illo genus, per modum accidentis Metaphysici.

V. Vnde ratio generis, accidit vniuersali, ut vniuersale est; quatenus verò genus est, est ipsi essentialis.

CON-

CONCLVSIO XII.

PRædicabilitas non eſt de eſſentia Vniuerſalis Logici.

COROLLARIA.

I. Eſt tamen propria paſſio illius, quatenus ad illud comparatur, tanquam ad ſuum ſubjectum.

II. Prædicabilitas de multis, eſt relatio rationis, ex parte naturæ vniuerſalis ac prædicabilis, ad inferiora.

III. Conuenit naturæ communi ſolum per operationem intellect⁹.

IV. Si tamen comparetur ad ſua inferiora, tunc reſpectu illorum eſt conceptus primarius.

V. Vniuerſale in actuali prædicatione, non amittit ſuam vniuerſalitatem.

CONCLVSIO XIII.

SEcunda intentio Logicalis, eſt formaliter relatio rationis, ſecus prima intentio.

COROLLARIA.

I. Licet omnis ſecunda intentio, ſit relatio tationis, non tamen è contra.

II. Primæ intentiones in concreto, poſſunt de ſe verè prædicari.

III. Nomina abſtracta primæ intentionis, tàm in prædicatis generalibus, quàm in Deo, poſſunt prædicari de concretis, & concreta de abſtractis; licet concretum non poſſit dici ratio abſtracti.

IV. Cæterùm, in creatis, & particularibus attributis, hoc fieri nequit.

V. Secundæ intentiones ſolùm in concreto poſſunt prædicari de primis; de ſe verò, ſi nullam habeant repugnantiam, in concreto, ſed non in abſtracto.

CONCLVSIO XIV.

PRimum prædicabile rectè definitnr eſſe id, quod prædicatur de pluribus ſpecie differentibus, in eo quod quid eſt.

COROLLARIA.

I. Hanc definitionem non eſſe eſſentialem, ſed deſcriptiuam cum Porphyrio defendimus.

COROL-

I I. Cæterùm ad essentialem hoc modo reuocatur, Genus est Vniuersale respiciens plura specie distincta, in Quid.

III. Poniturq; in hac definitione Genus materialiter sumptum, hoc est natura, quæ significatur per particulam, Quod.

IV. Prædicari verò in Quid de pluribus specie, locum differentiæ tenent.

V. Genereitas in abstracto, est vniuersalitas naturæ determinabilis seu perfectibilis.

CONCLVSIO XV.

DEfinitum formale in definitione generis, est secunda intentio generis in concreto, hoc est, quatenus connotat naturam realem, in qua est talis intentio.

COROLLARIA.

I. Non tamen secunda intentio generis præcisè, nulla habita ratione naturæ, cui substernitur.

II. Neq; totum aggregatū ex natura reali, & secunda intentione.

III. Neq; natura realis substrata secundæ intentioni generis secundùm se accepta.

IV. In substantijs materialibus, genus sumitur à materia, differentia à forma; at verò in substantijs immaterialibus, à tota essentia illarum.

V. Jn accidentibus autem in abstracto sumptis, hoc utrumque sumitur à natura specifica.

CONCLVSIO XVI.

GEnus de suis speciebus non prædicatur vt pars, sed ut totum.

COROLLARIA.

I. In definitione tamen speciei non continetur ut totum, sed vt pars.

II. Immediatum ejus correlatiuum est species, sed non totale & adæquatum.

III. Genus vnica relatione refertur ad omnes suas species.

IV. Licet

IV. Licèt genus tàm ſpecies, quàm differentias contineat potentiâ; de differentijs tamen non prædicatur per ſe.

V. Vt eſt Vniuerſale ac prædicabile, neceſſariò ad ſui conſeruationem requirit plures ſpecies, ſaltem poſſibiles.

CONCLVSIO XVII.

SEcundum prædicabile eſſe id quod ſubijcitur generi, eſſe id, de quo genus prædicatur in Quid, & eſſe id, quod prædicatur de pluribus numero differentibus, rectè definitur.

COROLLARIA.

I. Duæ priores definitiones dantur per proprietates, tertia per eſſentiale ſpeciei, & conuenit ſoli ſpeciei infimæ.

II. Diuiſio ſpeciei in ſubijcibilem & prædicabilem, non eſt in diuerſas res, ſed in diuerſos modos ejuſdem.

III. Species in eſſe prædicabilis Logici, non conſtituitur per ſubijcibilitatem, ſed per prædicabilitatem.

IV. Species ſubijcibilis vt ſic, non eſt formaliter vniuerſalis, ſed tantum fundamentaliter.

V. Logicè conſiderata ad ſui conſeruationem omninò requirit plura indiuidua ſaltem poſſibilia: vnde natura Angelica, quæ tàm actu, quàm potentiâ vnicum tantùm habet indiuiduum, ſolùm ex modo noſtro concipiendi vniuerſalis eſt.

CONCLVSIO XVIII.

TErtium prædicabile Logicum, optimè definitur eſſe id, quod de pluribus & ſpecie differentibus, in Quale quid prædicatur.

COROLLARIA.

I. Ab hac definitione excluduntur tàm accidentales, quàm indiuiduales differentiæ.

II. In eſſe vniuerſalis propriè non conſtituitur per reſpectum ad genus, neque ad ſpeciem, neque ad propria & immediata indiuidua, ſed ad indiuidua ſuæ ſpeciei, quam conſtituit.

III. Differentia vt ſic, adæquatè diuiditur in communem, propriam, & proprijſſimam, quæ diuiſio eſt analoga.

IV. Differentiæ ſuperiores formaliter ſumptæ, non includuntur formaliter in differentijs infimis formaliter ſumptis.

V. Quia tamen differentia infima virtualiter continet ſuperiores, ideò hæ de illa non prædicantur formaliter & per ſe, ſed identicè.

CONCLVSIO XIX.

QVartum prædicabile Logicum eſt id, quod conuenit omni ſoli & ſemper.

COROLLARIA.

I. Solum proprium quarto modo ſumptum, conſtituit verum prædicabile.

II. Et ideò eſt proprijſſimè vniuerſale quemadmodum & alia prædicabilia, prædicaturq; de pluribus neceſſario accidentaliter.

III. In eſſe tamen vniuerſalis formaliter, conſtituitur per reſpectum ad indiuidua ſuæ ſpeciei.

IV. Etiam proprium ſubalternum pertinet ad quartum prædicabile.

V. Jam verò proprium juxta tres priores acceptiones, ſolùm ſecundùm quid, & per reductionem ſpectat ad quartum prædicabile.

CONCLVSIO XX.

TRes definitiones Accidentis à Porphyrio traditas, eſſe bonas defendimus.

COROLLARIA.

I. Ex quibus ſola definitio prima conuenit accidenti, vt eſt quintum prædicabile.

II. Accidens in eſſe vniuerſalis, conſtituitur per reſpectum ad ſubjecta, quibus contingenter ineſt, & quæ denominat accidentaliter.

III. Jd de quo accidens ſub ratione quinti prædicabilis prædicatur, poteſt eſſe tàm ſubſtantia, quàm accidens, ſiue illud ſit reale, ſiue rationis.

IV. Acci-

IV. Accidentalitas eſt eſſentialiter vniuerſale vt quo; accidens verò in concreto ſumptum vt quod.

V. Ad hoc tamen non requiritur, vt inferiora accidentis eſſentialiter includāt illud, quod de ipſis prædicatione quinti prædicabilis dicitur, ſed ſatis eſt, vt formale ejus, accidentaliter conjungatur eis.

CONCLVSIO XXI.

ANteprædicamenta in genere tria, in ſpecie ſeptem cognoſcimus, nimirùm tres definitiones, Æquiuocorum, Vniuocorum, & Denominatiuorum, duas regulas, & duas diuiſiones.

COROLLARIA.

I. Æquiuoca, quorum ſolum nomen commune eſt, alia ſunt à caſu, alia à conſilio.

II. Vniuocorum autem, & nomen commune eſt multis; & ratio ſubſtantiæ omnino eadem.

III. Jnter hæc, dantur media Analoga, tàm tranſcendentia; quàm non tranſcendentia.

IV. Tranſcendentia majorem habent affinitatem cum Vniuocis, non tranſcendentia verò cum Æquiuocis.

V. Analogia conſiſtit in conuenientia, & ſimul diſconuenientia multorum, in vna aliqua ratione communi, vno nomine ſignificata.

CONCLVSIO XXII.

PRimum prædicamentum, cujus ſupremum genus eſt ſubſtantia finita completa, formaliter conſtituitur per rationem entis per ſe completi: & ideo eſſentia ſubſtantiæ eſt, per ſe exiſtens aptitudinaliter, non actu.

COROLLARIA.

I. Diuiſio ſubſtantiæ in primam & ſecundam, non eſt propriè & in rigore analoga, ſed tantum quodam modo.

II. Cujus diuiſum eſt ipſa natura ſubſtantiæ prædicamentalis in diuerſos modos ſubſtandi, particulariter & vniuerſaliter, quorum unus eſt realis, alter rationis.

III. Substantia prima est magis & perfectior substantia, quàm secunda, estq; prior accidentibus naturâ, tempore, definitione, & cognitione intellectus, licet cognitione sensûs accidentia priùs cognoscantur, quàm substantia.

IV. Jn prædicamento substantiæ, continentur omnes substantiæ creatæ completæ, ne quidem Christo excepto; Deus tamen nec per se, nec reductiuè ponitur in illo.

V. Substantia eadem numero manens, est susceptiua contrariorum accidentium.

CONCLVSIO XXIII.

QVantitas prædicamentalis est accidens extensivum substantiæ in se: & ideò ratio formalis illius constitutiua, est extensio partium in ordine ad se.

COROLLARIA.

I. Quantitas realiter distinguitur à substantia; & ideo substantia omni quantitate spoliata, licet retineat partes essentiales, nullas tamen habet partes entitatiuas, sed manet indiuisibilis.

II. Diuiditur Quantitas in continuam & discretam: illius species sunt linea, superficies, & corpus; hujus verò numerus & oratio.

III. Vnitas prædicamentalis supra Quantitatem continuam, addit esse indiuisum.

IV. Numerus prædicamentalis est ens per se, & species subalterna Quantitatis Discretæ.

V. Licet vltima vnitas sit ratio formalis constitutiua numeri; non est tamen vltima differentia numeri.

CONCLVSIO XXIV.

QValitas est accidens completum, modificatiuum & determinatiuum substantiæ in seipsa.

COROLLARIA.

I. Ratio formalis constitutiua Qualitatis, consistit in dispositione aut modificatione substantiæ.

II. Qua-

II. Qualitas ut eſt ſupremum genus, diuiditur in habitum & diſpoſitionem, naturalem potentiam & impotentiam, paſſionem & patibilem qualitatem, formam & figuram, vt in ſpecies ſubalternas.

III. Habitus eſt Qualitas difficilè mobilis, ſecundùm quam res benè vel malè ſe habet; diuiditurq; in infuſum & acquiſitum.

IV. Diſpoſitio eſt qualitas difficilè mobilis, & diſtinguitur eſſentialiter ab habitu.

V. Jàm verò potentia naturalis & impotentia, paſſio & patibilis qualitas, forma & figura, ſolùm accidentaliter differunt.

CONCLVSIO XXV.

DAtur Relatio prædicamentalis, quæ eſt ens reale, cujus totum ſuum eſſe, eſt ad aliud ſe habere vt Quo, non vt Quod.

COROLLARIA.

I. Hæc formaliter & eſſentialiter ſpectata, non poteſt eſſe fundamentum alterius relationis; materialiter verò & accidentaliter, poteſt.

II. Supremum genus hujus prædicamenti, eſt relatio in actu ſignato, in quo ſolæ relationes creatæ prædicamentales ponuntur.

III. Relatio prædicamentalis realiter diſtinguitur à ſuo fundamento proximo & completo: & ſi eſt mutua, refertur formaliter ad relativum; ſecus ſi non ſit mutua.

IV. Vnitas & diſtinctio ſpecifica relationum, deſumitur ex habitudine, tàm ad fundamentum; quàm ad terminum; numerica verò ex vnitate numerica ſubjecti.

V. Et ideò multiplicatis terminis ejuſdem ſpeciei, relationes in eodem ſubjecto non multiplicantur: vnde Pater ad plures filios eadem paternitate refertur.

CONCLVSIO XXVI.

ACtio & paſſio conſtituunt diuerſa formaliter prædicamenta.

COROLLARIA.

I. Ratio formalis conſtitutiua Actionis, eſt cauſalitas agentis; Paſſionis verò, eſt actualis receptio in paſſo.

II.

II. Actio egreditur ab agente per simplicem emanationem.

III. Si sit creata, non potest dari sine subjecto, cui inhæreat.

IV. Sub genere supremo Actionis, solæ actiones creatæ tàm immanentes, quàm transeuntes, continentur.

V. At verò sub genere passionis, illæ tantùm, quæ præsupponunt & sequuntur actionem prædicamentalem.

CONCLVSIO XXVII.

VBi & Quando, sunt accidentia resultantia in re locata, & durante; illud ex circumscriptione loci, hoc ex mensuratione temporis extrinseca.

COROLLARIA.

I. Vbi, sola ratione ratiocinata distinguitur à loco.

II. Sub prædicamento Vbi, neque vbi Diuinum, neque Angelicum, neque Sacramentale continetur.

III. Quando, non est ipsa duratio rei extrinseca, neque ipsum tempus mensurans.

IV. Sub hoc prædicamento, solæ reponuntur durationes mutabiles.

V. Durationes verò indiuisibiles, vt sunt Angelicæ, in hoc prædicamento locum non habent.

CONCLVSIO XXVIII.

SIgnum vniuersaliter sumptum, rectè definitur esse id, quod repræsentat aliquid à se, potentiæ cognoscenti.

COROLLARIA.

I. Diuiditur adæquatè & essentialiter in formale & instrumentale, quod subdiuiditur in naturale, & ad placitum.

II. Relatio signi naturalis ad suum signatum, quæ constituitur in esse signi, est realis.

III. Aliam relationem dicit ad signatum, aliam ad potentiam, tanquam ad terminos directè attactos.

IV. Si tamen potentia consideretur vt terminus in obliquo at-

tactus

tactus, tunc relatio signi ad signatum, & ad potentiam, eadem est.

V. Bruta propriè vtuntur signis, tàm ex consuetudine, quàm naturalibus.

CONCLVSIO XXIX.

Enunciatio est oratio verum aut falsum significans: diuiditur essentialiter in affirmatiuam & negatiuam; analogicè in simplicem & compositam: accidentaliter verò in vniuersalem, particularem, indefinitam, singularem.

COROLLARIA.

I. Hæc definitio Enunciationis, non est essentialis, sed descriptiua.

II. Vnde significare verum aut falsum, non est essentiale enunciationi vt enunciatio est, sed tantum enunciare vnum de alio.

III. Veritas in communi, est conformitas inter rem & ejus cognitionem: vnde nullius rei natura est formaliter vnitas, sed tantùm denominatiuè.

IV. Veritas autem formalis, nullibi est subjectiuè, sed consistit in judicio mentali.

V. Oratio enunciatiua quæ est intellectui conformis, solùm est repræsentatiuè vera.

CONCLVSIO XXX.

Propositionum contradictoriarum de futuris contingentibus, semper vna vera, altera falsa est.

COROLLARIA.

I. Probabile est, propositiones contradictorias de futuris contingentibus, habere determinatam veritatem & falsitatem, sed contingentem.

II. Multò tamen probabilius, magisq; sententiæ Aristotelicæ conforme, in ejusmodi propositionibus, neutram esse determinatè veram, aut falsam, ante determinationem suæ causæ.

III. Hinc Deus non cognoscit futura contingentia, nisi post decretum, quo illorum futuritionem determinat.

IV. Pro-

IV. Proinde in Deo præter ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, & Viſionis, non datur tertia, quâ cognoſcat futura ante decretum.

V. Vnde cum Dei præuiſione, volitione, influentijs cœlorum, poteſt optimè cohærere libertas cauſarum ſecundarum, & contingentia futurorum effectuum.

CONCLVSIO XXXI.

Argumentatio ſiue diſcurſus in communi, adæquatè diuiditur in Syllogiſmum, Entymema, Inductionem & Exemplum.

COROLLARIA.

I. Diſcurſus eſſentialiter conſiſtit in euidentia conſequentis ſimul & conſequentiæ, requiritq; omninò pluralitatem cognitionum.

II. Non eſt tamen neceſſe, vt illi diuerſi actus, qui requiruntur ad eſſentiam diſcurſus, ſucceſſiuè eliciantur.

III. Syllogiſmus eſt oratio, in qua quibuſdam poſitis, aliud quiddam diuerſum ab his, quæ poſita ſunt, neceſſariò accidit, eo quòd hæc ſunt.

IV. Quia Syllogiſmus eſt opus artificiale ex præmiſſis & concluſione, ideo concluſio eſt de eſſentia illius.

V. Hinc poſito certo & euidenti aſſenſu præmiſſarum, ac illationis cognitione, neceſſitatur intellectus ad aſſenſum concluſionis, & quoad ſpeciem actus, & quoad exercitium.

CONCLVSIO XXXII.

Sicut omnis & ſola cognitio diſcurſiua fit ex præexiſtente cognitione, ita omnis doctrina ex præcognitis & præcognitionibus procedit.

COROLLARIA.

I. Cognitio Angelica, & primorum principiorum, non fit ex præexiſtente cognitione.

II. Præcognitiones ad omnem doctrinam acquirendam neceſſariæ, ſunt tantùm duæ, An ſit, & Quid ſit.

III. Præcognita ſunt tria, ſubjectum, paſſio, & principia.

IV. De

IV. De principijs seu de præmissis, præcognosci debet an vera sint.

V. De subjecto autem An sit, & quid sit: tandem de Passione, quid significat.

CONCLVSIO XXXIII.

VTraq; definitio Demonstrationis, & quòd sit Syllogismus faciens scire, ac quod sit Syllogismus procedens ex veris, primis immediatis, notioribus, prioribus, causisq; conclusionis, bona est.

COROLLARIA.

I. Prior definitio solum est descriptiua, altera essentialis; vtraq; tamen conuenit soli demonstrationi Propter Quid, non verò Quia.

II. Licet Demonstratio constare debeat ex præmissis veris, non tamen verioribus conclusione.

III. Hinc etiam præmissæ Demonstrationis debent constare prædicato de omni, per se, & vniuersali.

IV. Per Demonstrationem propter Quid, per se loquendo, generatur verus & perfectus habitus scientiæ; per Demonstrationem verò Quia, imperfectus & in esse Dispositionis.

V. Isti tamen habitus per vtramque Demonstrationem producti, non differunt specie formali, sed tantum materialiter.

CONCLVSIO XXXIV.

SCientia est cognitio rei certa euidens & vera per causam, per quam res est, & quod illius causa est, & non contingit aliter se habere.

COROLLARIA.

I. Hæc definitio non competit scientiæ Quia, sed Propter Quid, quæ potissima & antonomasticè scientia vocatur.

II. Est tamen essentialis, & conuenit scientiæ tàm actuali, quàm habituali.

III. Certitudo intrinseca est de essentia scientiæ perfectæ, extrinseca verò non sufficit.

IV. Euidentia est de essentia omnis scientiæ naturalis.

V. Veritas autem habet se, vt passio consequens essentiam illius.

CONCLVSIO XXXV.

SCientia totalis est vnus simplex habitus ad omnia objecta, ad quæ se extendit.

COROLLARIA.

I. Vnitas & distinctio generica scientiarum, desumitur à ratione formali sub qua; specifica verò ex vnitate principiorum in habitibus partialibus.

II. Tàm Logica, quàm Metaphysica, sunt vnus simplex habitus in specie infima.

III. Geometria & Arithmetica sunt habitus simplices atomæ speciei.

IV. Et licet à Metaphysica, & Physica, genere differant; inter se tamen solùm differunt specie infima.

V. Etiam sacra Theologia, licet differat genere subalterno ab omnibus alijs scientijs naturalibus, est vnus habitus specie infima, quoad omnes suas partes.

CONCLVSIO XXXVI.

SCientiarum propria subalternatio, solùm inuenitur tunc, quando objectum vnius continetur sub objecto alterius, cum additione differentiæ accidentalis, contrahentis ipsam ad materiam determinatam.

COROLLARIA.

I. Scientia, cuius objectum continetur essentialiter sub objecto alterius, non est propriè subalternata, sed secundùm quid.

II. Hinc scientia de cœlo, elementis, & animalibus, impropriè dicitur subalternari Physicæ, & omnes scientiæ Metaphysicæ.

III. Cum vera subalternatione optimè stat, subalternatam esse veram scientiam, dum simul est cum subalternante.

IV. Immò scientia subalternata sine subalternante acquisita, est verè & propriè scientia.

V. Licet perfectionem & statum scientiæ non habeat, donec conjungatur subalternanti.

CON-

CONCLVSIO XXXVII.

HAbitus primorum principiorum immediatè producitur ab intellectu Agente, ſtatim vbi per ſenſus acquiruntur ſpecies intelligibiles, & ponitur notitia terminorum.

COROLLARIA.

I. Habitus primorum principiorum, non eſt ipſa potentia intellectiua, ſed eſt habitus ipſi ſuperadditus, & ab ipſa diſtinctus.

II. Similiter ab habitu ſcientiæ, eſſentialiter differt & ſpecificè, à ſpeciebus verò intelligibilibus, realitèr.

III. Ab alijs habitibus intellectualibus per hoc, quia producitur immediatè ab intellectu Agente, illi autem ab intellectu Poſſibili, concurrente virtute intellectus Agentis.

IV. Sicut habitus opinionis, cum habitu ſcientiæ, ita nec ſcientia & opinio poſſunt ſimul & ſemel eſſe in eodem intellectu, de eodem objecto.

V. Jmmò nec fides ſimul cum ſcientia de eadem re, tàm ſecundùm actus; quàm ſecundùm habitus poſſunt eſſe.

Sub felicissimis Auspiciis

MAGNIFICI, PERILLUSTRIS, & ADMODUM REVERENDI

DOMINI, DOMINI

ADAMI ROSCZEWICZ,

J.V. DOCTORIS, ET PROFESSORIS,

Ecclesiæ Cathedralis Cracouiensis Canonici, Collegiatæ SS: Omnium Archidiaconi, S. Nicolai ad Cracouiam Præpositi, Almæ Academiæ Cracouiensis

GENERALIS RECTORIS.